Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1597

Quelle:
Copyright:

nimi, qui poſſit eſſe in his locis et additur *Brunna;* quae ſimilitudo, quamvis admodum claudicet, Patriam tamen Autoris aliquatenus manifeſtat.

V. *fol.* eod. et *p.* ead. *Plurima miracula de corpore Chriſti.* Miranda intellige, quorum Noſter cenſet VII. *ratione Inſtitutionis*, VI. *ratione Conſecrationis*, totidem *ratione continentiae*, IV. *ratione perceptionis*, et totidem *ratione efficientiae.*

VI. *fol.* 87. *Miracula.* Hexas eſt e *Cantipratani*, *Caeſarii Heiſterbac.* &c. officina.

VII. *fol.* 88. *Hic incipit diſputatio corporis cum anima compoſita per magiſtrum Rudbertum groſſi capitis* (Capitonem, Greathead, Groſſeteſt) *linconienſem epiſcopum.* Quater produxi rhythmicum hunc Dialogum *Vol.* I. jam pleniorem, jam mancum. Praeſens Exemplum initio conſpirat cum illo, quod P. II. *col.* 2317. indicavi:

Noctis ſub ſilentio tempore brumali
Deditus quodammodo ſomno ſpiritali
Corpus carens video ſpiritu vitali
De quo mihi viſio fit ſub forma tali &c.

Qui vero ad famoſum *Lincolnienſem* referat, neminem novi praeter Codicem *Paulinum Lipſ.* relatum a *Fellero* in *Catal.* p. 309. indeque citatum a *Leyſero Hiſt. Poet. med. aevi* p. 997. Finit:

Mundumque cum frivolis ſuis condemnavi
Aurum gemmas pocula vanum reputavi
Rebus tranſitoriis abrenunciavi
Et me Chriſti manibus totum commendavi.

Explicit diſputatio — ſcripta per manus Eberlini de Noua Domo. En igitur Codicem a *Bohemo* exaratum.

VIII. *fol.* 89. p. 2. Rurſus XIV. *Miracula*, potiſſimum de B. *V. Maria.*

IX. *fol.* 92. Spicilegium quoddam pertinens ad *Summam Vitiorum* ſupra N°. III. indicatam, de *Otioſitate*, *Superbia* et *Ira*, juxta Editionem *cit.* ſuis locis inſerendum.

X. a *fol.* 98. accedit 1) Index in utramque *Summam Virt. et Vitior.* 2) Schema ſive *Arbor Virtutum et Vitiorum.* 3) Subpletur Initium Rhythmorum N°. VII. adductorum:

Ecce mundus moritur vicijs ſepultus
Ordo rerum vertitur, ceſſat Chriſti cultus &c.